



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE EGO, SI EXALTATUS***VENERABILI DEI SERVAE ANNAE ROSAE GATTORNO**

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. - « Ego, si exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipsum » (Io 12, 32). Sic Ioannes suo in Evangelio Iesu mysterium significat qui se penitus ad Patrem obtulit. Quae res funditus adimpletur si quis plane amore implicatur. Anna Rosa Gattorno Patris rationem agendi per gratiam detexit eidemque sese omnino accommodavit. « Mi Bone, quomodo agere possum, ut mundus totus te diligat? ». Id factum est cum se ipsa totam Domino offerret: « Mea dilectio! adhibe me veluti miserum instrumentum, ut fides refoveatur ac peccatores ad conversionem incitentur ». Studiosus hic eius animae impetus in dies factus est praestabilior status eius vitae, quae, succedentibus annis, rebus humanis affecta, verticem plenae immolationis in Patris gloriam ac delectamentum attingit, peccatores se converterent omnesque homines sanctificarentur. Rosa Gattorno die XIV mensis Octobris anno MDCCCXXXI Ianuae, Francisco et Adelaide Campanella parentibus, orta est ex familia scilicet altioris ordinis solidaeque christianae disciplinae. Eodem die Baptismi fonte expiata est atque anno MDCCCXLIII confirmationis sacramentum suscepit. Intra familiae fines ad illius temporis consuetudinem instituta, indolem sensibilem, amabilem, ad caritatem pietatemque patentem, sed firmam mox ostendit, ut principiis difficilis illius aetatis, clericatui adversis, obsisteret. XXI annos nata, die V mensis Novembris anno MDCCCLII consobrina Hieronymo Custo nupsit, ex quo tres liberi nati sunt, sed sex post annis vidua facta est. Maxima nata, infans, surda mutaque est facta et minimus natu, continuo postquam pater mortuus est et ipse interiit. Complures gravesque difficultates, quae in eam coniugem et matrem irruerunt, graviter ipsam affecerunt. Sed dolens Rosa Gattorno spiritus vim recipavit; sic precatione ac sacra Eucharistia quotidie recepta, sustentata, Iesum cruci affixum contemplan, animadvertit se singulari fidei amorisque impulsu ad eum persequendum vocari, cum se totam Eo offerret atque aegritudines et aerumnas multorum fratrum participaret, pro quibus eximia caritate usque elaboravit, minime filiolorum neglectis officiis. Cum praesideret « Pia Consociationi Filiarum Mariae Immaculatae, novarum Ursularum », quam ei tradidit Iosephus Frassinetti sacerdos, archiepiscopo Charvaz plane consentiente, varias nimirum caritatis Consociationes coluit, a quibus propter sui donationem et interiores divitias quaerebatur. A confessario directa, sustentata ab Archiepiscopi impellenti cohortatione, ac potissimum Venerabili Pio IX, praestabiliter suadenti, studiose obtemperans, Placentiae die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXVI Congregationem Filiarum a Sancta Anna condidit, impulsu adimplens receptum. Die XXVI mensis Iulii anno MDCCCLXVII religiosum vestimentum induit, civilibus quaestionibus solutis, atque vota religiosa anno MDCCCLXX nuncupavit. Compluribus aegritudinibus spiritalibusque vicissitudinibus superatis, iacturam simul faciens naturalium vinculum matrisque usque amabilis, perstudiose sese « Dei Operae » addixit, cum se Providentiae devoveret atque animoso caritatis impulsu concitaretur, exoptans usque ut Iesu in dolentibus membris hominumque vulneribus dumtaxat inserviret atque Amoris nuntium quovis gentium exhibens qui salvat ac omnium cordium curat vulnera. Sensu illo ac materna sollicitudine, quibus peculiariter locupletabatur, ad omne genus paupertatis humanaeque

aegritudinis accessit, cum se parvulis, pauperibus, infirmis, senibus, inermibus, iuvenibus ad pericula proiectis, penitus devoveret. Ipsius animarum salutis Evangelii diffundendi studium finibus quibusdam coerceri non potuit, sic eius Institutum mox idemque in totam Italiam, in Boliviam, Brasiliam, Chiliam, Peruviam, Erythraeam, Galliam et Hispaniam, productum est. Ea moriente tria milia et quingentae sorores numerabantur. Anna Rosa Gattorno Romae die VI mensis Maii anno MCM supremum vitae diem egit, spectabili sanctitatis fama perfulsa, quam complura eius intercessioni adscripta confirmaverunt beneficia. Beatificationis Causa anno MCMXII apud Vicariatum Urbis inchoata est. Cunctis absolutis rite rebus. die XXI mensis Decembris anno MCMXCVIII Nos declaravimus Ipsi Dei Servam virtutes heroum in modum exercuisse. Postea Congregatio de Causis Sanctorum felici eum exitu sanationem prodigiosam investigavit, quae intercessioni Matris Rosae Gattorno adscripta est. Decretum super miraculo die XXVIII mensis Iunii anno MCMXCIX eorum Nobis prodiit. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus die IX mensis Aprilis iubilare anni bismillesimi celebraretur. Hodie igitur in foro Petriano, inter Missarum sollemnia formulam hanc protulimus: Nos, vota Fratrum Nostrorum Iairi Jaramillo Monsalve, Episcopi Sanctae Rosae de Osos, Francisci Bible Schulte. Archiepiscopi Novae Aureliae, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, et Iacobi Pazhayattil, Episcopi Irinialakudensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Marianus a Iesu Euse Hoyos, Franciscus Xaverius Seelos, Anna Rosa Gattorno, Maria Elisabeth Hesselblad et Maria Teresia Chiramel Mankidiyan Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Mariani a Iesu Euse Hoyos die decima tertia Iulii, Francisci Xaverii Seelos die quinta Octobris, Annae Rosae Gattorno die sexta Maii, Mariae Elisabeth Hesselblad die quarta Iunii et Mariae Teresiae Chiramel Mankidiyan die sexta Iunii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Placet omnino caritatem ac liberalitatem insignis huius, mulieris extollere, quae sua opera luculenter in familiam atque in pauperes humiliorisque ordinis homines contulit, ob oculos Evangelii usque monitionibus habitis. Exoptamus igitur ut huius caelitis testificationibus incitati homines qui nunc sunt idem patrare contendant. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Aprilis, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card.

SODANO

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 1, pp. 10-12 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana